& erectã; Nobiliſs. v. Dominus à KYCKPUSCK, ſummũ ſibi favorem & honorem tributum eſſe ingenuè fatetur. Illuſtriſsimis ipſorum Celſitudinibus pro ſummâ hac clementiâ, Ampliſs. item Dnn. Legatis, Equitibus Marchiæ ſplendidiſs. Optimatib. autoritate graviſsimis, gloriâ clariſsimis, Magnifico Dn. Rectori, Profeſſoribus Excellentiſsimis, Conſulibus & Senatoribus ſpectatiſsimis, Studioſis Nobiliſs. & florentiſs. civibus ornatiſsimis, omnibus denique ac ſingulis, qui exſequias defuncto Dn. Capitaneo iverunt, pro ſummâ hac benivolentiâ Deus immortalis benefaciat. Nam præter gratiarum hanc actionem, quæ nudis fit verbis, nihil de ſe polliceri aliud, mœſtiſsima Vidua, cum Ampliſs. Dn. REINHARDO de KYCKPUSCH poſſunt; etſi hic opibus, gratiâ & auctoritate multum poteſt: niſi ſummæ hujus clementiæ, & maximæ benevolentiæ memoriam animo ſe retenturos eſſe, donec animum ipſum retinebunt.

D I X I.

RECTOR
ACADEMIÆ FRANCOFURTANÆ

DAVID ORIGANUS,

Utriuſq; Mathematicæ P.P.
AD EXSEQUIAS
Quas
HEROIDI
Matronæ Nobiliſſimæ Honeſtiſſimæq;
DN.

MAGDALENÆ STITTENIÆ

Natæ Ashelmiæ de Goldtſchmieden, Hæreditariæ in Pomerſvvitz, Rôsnitz, VVindorff, & Steubervvitz.
VIRI OLIM MAXIMI
Nobiliſſimi,

DN. HARTVICI DE STITTEN, IN POMERSVVITZ, RÔSNITZ, WINDORFF, & STEUBERVVITZ, &c.

Illuſtriſs. Princip. Marchion. Brandeburg. Conſiliar. intimior. Ducatus Carnoviæ Capitan. Laudatiſs.
Conjugi primùm Lectiſſimæ
Poſt, Viduæ Relictæ

Ann: { M. D. XCIII. X. Kal. April. in vitam venienti;
M. DC. XXII. XII. Kal. Mart. è vita ſolventi;
M. DC. XXII. XII. Kal. April. forâs efferendæ;

Vir MAGNIFICUS juxta ac NOBILISSIMUS

DN. REINHARDUS de KYCKPUSCH, IN STEINSDORFF & GOLDTSCHMIEDEN,

Illuſtriſsimo Principi Liechtenſteinio, Duci Oppavienſi, &c. â conſiliis amicis & intimis &c.
ADFINI SUÆ DULCISSIMÆ
Honóra adparata
Ex ædibus Parochialibus Templo Cathedrali convicinis
Solemniſſimè ductura eſt:
Omnes ſuæ Juriſdictioni ſubjectos peramanter invitat.
Literis
FRIDERICI HARTMANNI BIBLIOPOLÆ.

Clemens Alexandrinus

Stromat.

Lib. IV.

ὁ τοῦ σώματος ἀπὸ τῆς ψυχῆς χωρισμὸς, ὁ παρ' ὅλον τὸν βίον μελετώμενος, τῷ Φιλοσόφῳ προθυμίαν κατασκευάζει γνωστικὴν, δύκολως δύνασθαι Φέρειν τὸν τῆς Φύσεως θάνατον, λελύσιν ὄντα τῶν πρὸς τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς δεσμῶν. Ἐμοὶ γὰρ κόσμος ἐσταύρωται, κἀγὼ τῷ Κόσμῳ· βιῶ δὲ ἤδη ἐν σαρκὶ ὤν, ὡς ἐν οὐρανῷ πολιτευόμενος.

Id est:

CORPORIS ab ANIMA SEPARATIO, quam toto vitæ tempore MEDITATUR (*verus*) PHILOSOPHUS, quandam cognitione præditam parit animi alacritatẽ, ut possit facilè ferre mortem Naturæ, quæ est SOLUTIO vinculorum ANIMÆ à CORPORE. Mihi enim crucifixus est mundus & ego mundo. Vivo autem jam, cùm sim in carne, ut si in cœlo versarer.

Galat. VI. com. XIV. Galat. II. com. XX.

BIBL. BERNHARD. VRAT.

Utut

537320

P. C.

C. A.

UTut *universa terra* vulgaris *via MORS* est: *eadem̃q; SORS justi & injusti, boni puriq; & impuri, sacrificantis & non sacrificantis, probi & improbi, perjuri & perjurium reformidantis:* sicuti post Ducem Jehoschuham, (*a*) & Davidem Regem (*b*) Solomon (*c*) ut optimè concionatur: non vulgaris tamen, sed secretissima *ARS* est, & rarissima omnium ΠΩΣ ΔΕΙ ΑΠΟΘΑΝΕΙΝ, QUOMODO SIT BENE BEATEQUE MORIENDUM. Salutaris enimverò & solida mortis meditatio, propria filiorum Dei prudentia est & cognitio: *Nihilq;*, quod monuit augustè (*d*) Augustinus, *sic revocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio:* quanquam eâ ipsâ exercitatione nihil tristius accidere peccato detentis, *& tanquam vinculo ac fossa* impeditis potest. Sapientiæ mortis *Doctor*, si quæras, DEUS est: non sensus, non ratio, sed Deus: & in solidum Deus, *Viam* unicè *& utilia* (*e*) *docens. Discipulus*, HOMO est, non carne, non sanguine, virive libidine satus, sed *ex Deo natus*, Christo vivens. *FORMA*, vestigatio est causarum mortis & remediorum. Denique FINIS, μάθησις καὶ πρᾶγμα: queis *ad superna vocationis palmam contendimus, quibus perspecta oportunitate à somno surgimus, & occasionem* de præcepto (*f*) Apostolico *redimimus, quoniam dies mali sunt:* queis *Sapè mori*, quamvis non mortis experientiâ, attamẽ moriendi proposito, studemus, *Deoq;* adeò *perplacere* in vita, in morte discimus. Atqui talis profectò

a) Jehosch. XXIV. com. XIV.

b) I. Reg. II. com. II.

c) Eccl. IX. com. IV.

d) Aug. l. XII de Genes. ad Liter. cap. XXVIII.

e) Eschar XLVIII. com. XVII.

f) Ro. XIII com. XI. Eph. V. com XXVI.

fectò ſapientia Dei, ut *occulta eſt*, & πολλῶν μείζων à Chryſoſtomo (*g*) dicta: ita neque *ortu* humana eſt, neque mundo & ſeculi filiis ut *ſubjecto* ineſt, neque *dicendi peritia*, ſed *ſpirituali potentia*, non ullis *ſeculi principibus*, at *ſimplicibus fidelibus* perſuadetur. Præmonſtravit *diſcrimen* hoc Prudentiæ cùm *olim* ſæpe, & *deinceps* ſæpius, tùm in hujus *Anni* εἰσοδίῳ Deus. Olim quidem *verbo* per Moyſen, tàm humanæ, quàm divinæ philoſophiæ ſcientiſsimum: Deinceps peculiari *voto* per Davidem, cœleſtis intelligentiæ promum condum. Nam quid ille? quid iſte? Moyſes, poſtquam communis vitæ & *inſtabilitatẽ & miſeriã* cõqveſtus, ſeculi infelicis *ſecuritatẽ* expoſuiſſet, tanquam coram Deo interrogans. (*b*) *Quis agnoſcit robur iræ tuæ, aut excandeſcentia tuæ ſecundum timorem tuum?* tandem quaſi fruſtrà de ſeculo *moriendi prudentiam* quærens, ſolius Eccleſiæ nomine, & voce & mente in Deum converſa inquit: (i) NUMERARE *dies noſtros ita doce nos, ut inducamus animum* SAPIENTEM. David autem: (*k*) NOTUM, ait, *fac mihi Jehovah finem meum, & numerum dierum meorũ, ut ſciam, cujus ego ſim ævi.* Verùm ipſo hujus anni εἰσοδίῳ idem cõfirmavit *exemplo*, eoq; non uno, ſed gemino, nõ protrito, ſed raro, non alteri tantùm, ſed utriq; ſexui cõmuni. Alterum enim verò antè in *fato* HEROIS Dnn. HARTVICI de STITTEN *in Pomerſvvitz, Röſnitz, VVindorff, & Steubervvitz: Illuſtriſſ. Princip. Marchion. Brandeb. olim Conſiliarii, & Ducatus Carnovienſis Præfecti provincialis, &c. Viri integri ac recti, timentis Dei, & recedentis à malo*: alterum in *funere*

g) *Chryſoſt. hom. XXIV de Baptiſ. Chriſti.*

b) *Pſal. XC. com. XI.*

i) *Pſal. XC. com. XII.*

k) *Pſalm. XXXIX. com. V.*

re HEROIDIS, Dnn. MAGDALENÆ STITTENIÆ, *natæ* ASHELMIÆ *de Goldeſchmiedẽ, &c.* Matronæ Nobiliſsimæ, poſt ſeptimanas ſepties iteratas, brevi intervallo, at lõgo teſtimonio, cõſignavit: Ut, ſi nõ *verba*, nõ *vota* docerẽt ARTEM ſatis, ſaltem *exempla* intuentes, *virtutẽ* in illis, *fortunã* in nobis, profectũq; in NUMERANDO diſceremus. Et quid ita inquis in Numerãdo? Tenent quidẽ haut infeliciter etiam ψυχικοὶ ἄνθρωποι exactam *numerorum, horarũ, dierum, menſium annorum* ſcientiam: callent mundi *nunc* judicem parturientis, *olim* recentis, hiſtoriam: ſciũt, quot gradibus *polus* elevetur, quot pedibus *Luna* à terræ centro digrediatur, quàm longis ſpatiis à ſe *planetæ* dividantur. Sæpè etiãm, quo ſunt ingenio verſipelli, per *regulã Faſi*, regulam æqui in opibus congerendis antevertere norunt. Verum, ubi ad ſe ipſos numerãdos & dimetiendos, ubi ad *mortis vitæq;* dies, *corde ad ſapientiam compoſito*, diſponendos ventum eſt: tum vero

O miſeras hominum mentes! ó pectora cæca!
Qualibus in tenebris VITÆ, *quantiſq; periclis*
Degitur hoc ævi quodcunq; eſt!

Quantumvis enim videant magnas aſsiduè mutationes rebus involvi, & *multos quotidie hinc ad judicem abduci*, & præſentia præteritis, futura præſentibus pejora ferri: tamen aut *numeri* ſunt miſeri mortales, aut *cæci* in ſuis, *oculati* in alienis *vitæ numerandis diebus*: (l) *dormientes in virtutibus, vigilantes in vitiis: ſtrenui in malis, deſides in bonis.* Quo ſi ergo iterum iterumque *diſciplinam mortis* admittere

l) *Chryſoſt. Hom. L. in Geneſ. cap. XXVI.*

amaverimus, *hinc* quidem ex Fœmina Nobili Θανασίας epitomen capientes; quemadmodum *illinc* ex Viro Illustri *Mortis in peregrinatione contingentis causam* nuper edocti sumus: profectò horas nostras neque fructuosius collocabimus, neque vitæ sanctioris & SAPIENTIÆ *cupidiores* nos unquam ostendemus. *Summa enim*, ut (m) Bernhardus credidit, *Philosophia est mortis meditatio assidua*: Et; *Singulare* (n) *contra omnia mala remedium, mortis Memoria*. Unde & quid sibi velit oratio Moysis, *artem moriendi divinitus doceri cupientis*: Et quantum in hac arte *profectum* fecerit MATRONA laudatissima, facilius assequemur. Quo considerato ex sensu animi illius & usu, nemo opinor tàm frigidè Christianus fuerit, qui non exclamet: (o) *Moriar ego morte justorum, & sit finis meus sicut illius*. Quemadmodum autem in rebus humanis ferè comparatum est, ut quò quæque fuerit scientia nobilior, eò ignorantia ejus periculosior sit & frequentior: Ita in hac arte, in qua

est vitæ virtus maxima POSSE MORI,

ab ultima ætate accidit: quando aut *in certitudine* ejus, aut in *Modo* illius non pauci, nec rarò aberrarunt. Quidam *Delicatuli*, qui τὸ φωβερὸν τοῦ θανάτου πρόσωπον, *ut loquitur* (p) *Chrysostomus*, καὶ χαλκᾶς πύλας, καὶ κεντρὸν αὐτοῦ exhorrebant, nullam esse RECTE FELICITERQUE ARTEM MORIENDI putabant. Credebant enim, quod verbis ipsorum & ore recitat Gregorius (q) Nyssenus, *Naturalem unicuiq; adversus mortem calumniam atq; querelam insitam esse: ut neq; qui*

m) Bernhardus in Spec. Monach. p. MCCLIX.
n) Idem. In Doctr. pag. MDL.
o) Numer. XXIII, com XIV.
p) Chrysost. Ho. XXXII in cap. XII. Genes.
q) Greg. Nyss. Tom. II. in dial. de Anim. & Resur. pag. DCXIII.

qui vident morientes, spectare facile sustineant, & quibus mors imminet, quoad fieri potest, eam refugiat. Alii nummorum & *aris Avidi*, cùm aliquam viam diuturnæ avaritiæ exstare optarent, unam contra horrorem mortis MEDICINAM in honore habebant: quia, ut iterum Nyssenus, (r) *pugnare quodammodo cum morte ea ars viderctur*.

Nonnulli, quos inter *Philosophi* & *Nomothetæ*, Θανασίαν omnem in PHILOSOPHIA sua, quamvis *profanâ* & *imperfectâ*, ponebant: quam ob id μελέτην θανάτου *Plato* (s) nō semel, τὴν ἀπαλλαγὴν τοῦ καὶ τῆς φύσεως salutasse legitur. Quo ex genere quoque *Hegesiam* prodiisse credibile est, ab *Epiphanio* (t) annotatum: qui, *Malo viro utile esse vivere, Sapienti mori* disputabat: Unde quidam *Suasorem mortis* eum non in eleganter vocarunt. Equidem non noto hac vice illas critico obeliſco seu ægrotantium seu solidi solatii inanium opiniones: nec *Magmedanos* in Oriente natos recenseo, aut æmulos illorum *Pontificios* in Occidente perstringo. Quorum *illis* in Hagarenos, Tataros, Arabas & Turcas divisis, si qui (u) in *exscindendo Christianismo*, *in propagando Magmedismo*, *in extendendo imperio* fortiter pugnassent, *beatè mori* creditì sunt: *His* autem *olim*, quotquot pro *terra* (x) *sancta recipienda*, pro *Waldensibus* aut *Albigensibus* delendis, *cruce in pectore signati* essent: quotquot *etiamnum* Indulgentias mercari, & infirmâ valetudine appetente *Sacramentalem cōfessionem* edere, *altaris Sacramentum* sumere, & *oleo* inungi *sancto* sustinuissent, *spem remissionis* (y) *omniū peccatorum*,

r) Greg. Nyss. Ibid. pag. DCXIV.
s) Plato in Phædone & Cratylo. Damascen. Dialect. cap III. & LXV. Elias Cretēs. in Orat XIII Nazianz.
t) Epiphan. lib. III. cont Hæres. pag. CCLVII.
u) Napeirus ex Baptista Egnatio in Annot. ad c. IX. Apoc.
x) Chronol. Altissiodor. fol. CVI, CX
y) Matth. Parisius in Histor Ann MCCXIII.

peccatorum, & beatæ ἀναλύσεως largam habere dicti sunt. Verùm cùm nec illorum, nec horum *Trium necessariorum* Scriptura meminerit, quam unam & unicam, *velut lucernam splẽdentem in obscuro loco* (z) sequimur & comitamur: certiorẽ & sanctiorẽ viven-
di viam, moriendi rationẽ, verbo monstratã, ire Christianos oportere doceo. Quæ illa? *Idonea*, ut compendio dicam, *hominis conversi ante mortem* PRÆPARATIO: *& Firma Istaq; hominis in morte ipsa* CONSTITUTIO. Quam utramq; partem ita severè nobis Dominus, *qui vitæ, qui mortis potestatem solus habet*, conjunctam injunxit & præscripsit; *ut continua* (aa) *sobrietate & vigilantia*, quod repetit inde Chrysostomus, (bb) *animos singulorum ad excipiendum Christi adventum secundum præpararet*. Nihil *certius* morte est, nihil die *incertius*: oportunius itaque nihil est, quàm *illius* necessitatem, *hujus* incertitudinem certa præparatione prævenire. Mors *certa* est, quoniam imperium ejus effugere nemo potest: Eadem *incerta* est, quoniam de *tempore*, de *loco*, de *modo* nihil mortalium nosse cuiquam datum est: nempe *quomodo*, vel *quando*, vel *ubi*, in lecto, in tecto, in domo, in agro, in *solo*, in *salo*: aut qua morte quisque, *citâ* an *lentâ*, *naturali* an *violenta* sit obiturus. Ad hæc nihil in mundo *periculorum pleno* periculosum est æquè, atque omnem neglectim habere *præparationem*: quippe, cùm antegressa mortẽ vitæ propria & *sola* pœnitentia, in morte *sera*, aut *seria* rarò, post mortem *nulla* relicta sit. Quis tibi dolenti caput, cor, & reliqua membra fidẽ facier, viribus

(z) II. Pet. I. com. XIX.

(aa) Marc. XIII. com. XXXIII. Luc. XXI. co. XXXIV.

(bb) Chrysost. Hom. I. in Cap. XXVI. Geneseos

viribus corporis morbo dejectis, animam sensu, ratione, judicio valituram? Quis tibi languenti & festinanti ἀθροτύτης in agone spondebit, tantum temporis superfore, ut vitæ & mortis luctantis in articulo ἀθροσευνῆς initiũ facere; ut spretam olim invenire *sanctimoniã*; ordiri *pœnitentiã*, instaurare *preces*; linquere *voluptatũ desideria* volũtate ad Deum cõversa possis, imò velis? *Nõ est*, inquit Paulus, (a) *volẽtis, neq; currentis, sed miserentis Dei*. Enimvero justè (b) cõdemnat Deus illos moriẽtes, quibus viventib. & valentibus injustè visum est Deũ contemnere: justè eos desertos obliviscitur, quibus deserentibus & sanis nimium grave fuit, Dei vel semel meminisse. Quoties non seria est illa pœnitentia aut coacta, quæ sera est? Quoties oratio morituri emortua? Quoties fides languentis languida, aut nulla? Optatissimum igitur fuerit, *jam nos à somno* (c) *expergisci*, & tempus gratuitæ Dei benevolentiæ *matura præparatione* studiosè observare. *Qualis verò illa demum hæc est præparatio?* Primò, *qua mortis memoriam jugi prece à Deo precamur*: Secundò, *quâ finem ante finem in fide meditamur*: Tertiò, *quâ in vita temporali primum vitæ cœlestis gradum ingredimur*. Quartò, *quâ paulatim sensimq; sub Christi cruce morimur*: Deniq; *præsente sorte contenti, officij partes nostri ex re nata alacriter adimplemus*.

(a) Rom. IX. cõ. XVI.

(b) Rom. II. com. IV, V, VI.

(c) Rom. XIII. com. XI.

Solet mortalibus nonnunquam venire in mentem mortalitatis suæ, ubi sua damna vident, aut aliorum infortunia audiunt: Sed quæ absq; Dei spiritu est, ea omnis à sensu carnis orta, aut gene-

 nera-

neralis, aut vana mortis cogitatio est. Quale enim ales in aere, navis in mari, fumus in vento relinquit vestigium: tale in cordibus vitæ cupidorum transitoria miseriæ inspectio imprimit simulacrũ. Supplicandum igitur est Domino eâ, quâ (d) Moyses, qua Psaltes (e) supplicatione usi sunt: *Is dies vitæ nostræ* NUMERARE *nos doceat: ut hoc Magistro docente*, quod ille (f) cecinit,

Vita fuga est, abeuntq; dies, & carpitur ætas,
Ut temerè linguæ verba loquacis eunt:
Quùmq; satur vitæ est, & aniles attigit annos,
Vel MALE, *vel* TEMERE, *vel* NIHIL *egit homo.*

maturius & rectiọ ratione coprehẽdamọ. Alterũ officiũ, quod ad μελετη migrationis nostræ facit, hoc est; *Ut finem vitæ ante finem meditemur.* MEDITARI autem mortem quid est, quam *causam* mortis, *peccatum*, meminisse, & *medicinam mortis* in morte Christi, quæ quoad *ipsũ* maledicta fuit ex *genere pœnæ*, quoad *nos* benedicta ex *merito efficaciæ*, quæsiisse: & *singulos* dies pro *supremo* duxisse; denique *judicium* Domini singulis noctibus propinquius factum cogitasse? Quemadmodum enim nautis sive vigilantibus, sive dormientibus, nunquam in navigatione subsistere datum est, quin portus appropinquet: Ita nec hominibus in quotidiana vitæ peregrinatione. Qua meditatione nullum neque *ad humilitatem* ingenerandam, neque ad *resipiscentiã* maturandam, neque ad ἀναζωπύρησιν suadendam, neque ad *exuendam* maculatæ carnis *laciniam*, efficacius aut fortius argumentum esse potest. Moriendum est peccato, antè quàm moriamur in peccato: & prius de nobis ipsis ferẽdum judicium, (g) antequam â Deo

d) *Psal. XC, com. XII.*
e) *Psalm. XXXIX. com. V.*
f) *Joh. Stigelius.*
g) *I. Cor. XI. com. XXXI & XXXII.*

trahamur in judicium. *Non enim mori potest morte justorum, nisi qui prius vixerit vitam justorum: quando*, ut Augustinus rectè sensit, *vix benè moritur, qui malè vixerit.* Quin igitur in eam curam pariter incumbimus cũ Hieronymo, ut, sive vigilandum, sive dormiẽdum, sive agendum quid aliud fuerit, semper nobis audire videamur sonum tubæ, has voces auribus insonantis: SURGITE MORTUI, VENITE AD JUDICIUM? Tertium munus illud est, *Ut in hac vita temporali primus ad cœlestem vitam gradus sit.* Qui quidè nusquam alibi, quàm *in* salutari (h) notitia Dei & Mediatoris Christi, *in* pace conscientiæ (i) *omnem intellectum superante*, *in* communione donorum Spiritus Sancti, & *ductu* ejus, cor hominis legi Dei magis magisque conformantis, consistit. Enimverò *tres* sunt *vitæ beatæ gradus*. *Primus*; cùm Christus vivit in nobis, nosque per fidem in Christo: *Secundus*; cùm ab hoc corpore mortis soluti in cœlum, parte nostri meliore, migramus. *Tertius*; ubi à resurrectione, animâ cũ corpore denuò sociatâ, regnum paratum nobis, in Dei visione & gaudio, æternum possidemus. Vis igitur pervenire ad secundum, fac initium à primo. *Non enim introibit in regnum Dei, nisi qui fecerit* (k) *voluntatem Regis.* Vis progredi usque ad tertium, non differ accelerare primum. *Non enim sortem habebit in sorte sanctorum, nisi cui commendata fuerint studia justorum:* Cui cum Paulo dicere & probare sit animus, *Non ego vivo, sed vivit in me Christus.*

Satisne hoc autẽ arbitrabimur ad mortis horrores vincendos, *nisi; Antè quàm moriamur, paulatim quoq; & sensim mori studiosè discamus?* Imò verò illud est, quod *quarto* loco monere volui. *Primùm*, ut à peccato deinceps cavendo, quẽ mortis stimulum

h) *Joh. XVII com. III.*
i) *Rom. XIV com. XVII.*
k) *Mat. VII. com. XXI.*
l) *Galat. II. com. XXI.*

m) I. Cor. XV, co. LVI

Paulus (m) vocat., vim mortis & robur sensim imminutũ frangamus: *Deinde* animum ad quævis fortunæ tela fortiter excipienda, patienter ferenda consuefaciamus; Deoque adeò seu probanti fidem, seu castiganti vitâ humiliter nos ipsos nec reluctantes submittamus. Quem enim ad modum qui cursu in stadio pro corona decertant, antè, quàm in arenam prodeãt, corporis γυμνασίαν faciunt: quique majora sustinere onera volunt, pondera minora ferunt: Sic antè, quàm cum morte luctemur, mortis anteambulones vincamus oportet. Quis enim mortem non horrebit, qui morbos exhorruit, qui pauperiem timuit, qui famæ ignominiam, exilia & opprobria impatientius tulit? Rursum igitur putemus nobis scriptum ad imitationem, quod de Bilnéo Martyre monumentis proditum est: (n) *Illum sæpius antè quàm cremaretur, digitum candelæ ardenti immisisse*: non solùm, ut facerer periculum constantiæ suæ, sed & flammarum consuetudine ad flammas obdurescceret, & graviora tormenta. Nam ut *mori nolle indicium est parvi profectus*, teste Augustino: Sic calamitatum & morborum in vita omnium expertem esse velle, profectò magnæ trepidationis in morte præludium est. Quàm eleganter autem & disertè Salomon præscripsit *QUINCTUM* Præparationis munus, ubi in Ecclesiaste scripsit: (o) *Quicquid assequitur manus tua, ut facias pro facultate, fac: Nam nullum est opus, aut ratiocinium, aut scientia, Sapientiave in sepulcro, quò iturus es*: Tãquam si præsente sorte nos contentos, in officio faciendo alacres esse oportere dixisset. Enimverò *ad hominẽ pertinet*, inquit Hugo, (p) *ut id solũ, quod sibi cõmissũ est, benè disponere studeat: Illud verò quod nõ commissũ, sed promissum sibi est, illius arbitrio, à quo illud impleri oportet, relinquat*. Quod cõsilium à Salomone digestum, à Paulo (q) approbatum, si cui curæ fuerit & cordi, dubium nullum est, quin *& Tempus oportunum habens, erga omnes, maximè autem fidei domesticos, beneficus esse*: & Tempus non habens, multa cum pace conscientiæ vitam lætus finire cùm velit, tum possit. *Hoc enim solum*, inquit idem Hugo, *incertum esse non debet, quod bonam vitam, mala mors sequi non potest*.

n) Conf. Perkins. in Tract. de Rect. Rat. Mori.

o) Eccles. IX com. XII.

p) Hugo. Erudit. Didasc. Tom. III. part. XVI. cap. I.

q) Galat. VI com. X.

Hugo de S. Vict. lib. c. II

Porrò

Porrò, cùm *Mors sit media, in quâ dies Domini incipit, dies hominis finem accipit*: si appetentem videamus *Adversam valetudinem*, quibus opus est? *Tribus*! Uno; ut *Deum*: altero; ut *Nos ipsos*: Tertio; ut *Proximum* ritè & sollicitè conveniamus. *Deum* enim reconciliatum morte Christi, fide renovatâ, resipiscentiâ instauratâ, peccatorum confessione, omissorum deprecatione, precibusque ardenter fusis placare necesse est. *Nos ipsos* à servili mortis metu imminentis liberare; *Proximum* autem demereri offensarum condonatione, venia vicissim rogata, oportet: Quorum istud *Charitas*: illud *Spes* omne haut difficulter præstabit. Speculare enimvero Mortis faciem, non terribilem illam in Legis, sed blandiorem in Evangelii speculo. Cogita mortis finem non obitum, sed exitum, & *vitæ viam*, verbo Ambrosii, prævisam Deo & ordinatam esse. Considera, quam læta sint promissa *beatitatis*, & *domicilii* non manu facti, sed æterni in cœlis, in quod suspiramus. (q) Memorare *communionem* indivisam cum Christo, per quam anima nunquam, corpus nunquam separatur à capite, quamvis à se divellantur in morte: conjunctione, quæ in hâc vitâ cœpit, *vitis & palmitum, capitis & membrorum*, templi & spiritus inhabitantis æviternum durante. Meditare *Præsentiam* Domini gratiosam, dolorum mitigatione, cordis consolatione gustatam. Denique *in Resurrectionem* hujus Carnis spe firmâ recumbe. *Qui enim de resurrectione*, ait Chrysostomus, *multa sapienter novit meditari, quomodo mortem formidaret?*

Ambros. de bono Mortis

Apoc. XIV. com III. II. Corin. V. com. I.

Sed enimverò, *inquis*, jam mortis articulus instat, agone imminente, huncque quem agimus diem *hodie* cum morte partimur. Quibus igitur partibus, non ut antè in vitæ Præparatione cum aliis, sed in duello solos certantes, Ad Firmam Animi Constitutionem instructos esse oportebit? *Tribus*, ut verbo dicam: Nempe, ut In *Fide*: & Obedienter: & *commendata* Deo in manum *anima* moriamur. *Fides* enimverò jubebit, toto cordis impetu gratiæ & misericordiæ Patris in Christo cœlestis nos dedamus: Nos ipsos, quanti quanti sumus, negemus. Fides jubebit, ut desideria, lacrymas, verba gemitusque

in sinum & utrem Domini cum Jacobo, (r) Davide, Jona exoneremus. Fides docebit, *ut eô tempore, quo deficit anima nostra, & à corporis compage divellitur, nun aliò cogitatione* (s) verbo Hieronymi, *vergamus, nisi ad eum, qui & in corpore & extra corpus noster est Dominus.* Faciet denique, ut, quemadmodum Lutherus dicere amabat, *Homines in morte summè Christiani fimus.* Hanc Fidem ex templo excipiet *Obedientia*, tanquam fructus radicem: sicque putabit anima secum, *UT VIS DOMINE, ita Volo*; quam vocem (t) Christus, nostro bono ternis vicibus iteravit. Tandem sequetur *Commendatio* nostri OPTIMA, quâ spes animam Deo *creatori fidelissimo* commendabit: Christi exemplo, (u) Stephani imitatione, (x) Petri hortatione (y) suscitata. Enimvero *Redemit nos Deus* noster. (z) Fidelis est: Volens, quia jussit: potens, quia voluit animas commendatas servare. Huic igitur in mortis angustiis confidendum: huic vias Vitæ & mortis regenti innitendum, in hunc, ut Lumen, animo intuendum, donec misereatur: denique, quod Jobus ingeminat, *etiamsi nos occiderit Dominus,* (a) *tamen sperandum in eo. Non enim nocere potest*, ait Hugo, (b) *anima, si corpus vitam suam perdit, quando ipsa vitam suam, in* FIDE, & SPE, & CHARITATE *persistens non amittit.* Dubio a. procul vultis paradigma aliquod clarum & illustre? Sumite ergo quod subjeci modo, imò quod Deus posuit Exemplum venerabile, novissimâ vestrâ memoriâ cõsecratum. Non memorabo, quo loco satâ *Heroina*, DN. MAGDALENA SEITTENIA, &c. omnium virtutum matronalium plenissima Fœmina, Decus PIETATIS & SANCTIMONIAE in hanc vitam venerit. Omnes n. norunt, qui ipsâ noverunt, summo loco, Patre CASPARE ASHELMO in GOLDTSCHMIEDEN; Matre MAGDALENA natâ JENCKVVITZIA, Posedovvsky in Goldtschmieden, &c. utroque parente, numerosa majorum serie, paternâ maternaque linea ascendentium nobili, stipendiis Pietati laboranti constitutis clarissimo; An. MDXCIII. X. Kal. April. Uratislaviæ, editam: inde sigillo fœderis gratuiti in Christum sacratam, amplissima testium manu & prece calida: post hæc ab infantiâ ad pietatem, lectionem, precandi, acuque pingendi artem, familiæ curam, &

r) *Genes. XLIX.*
s) *Hieron. in cap. 2. Jonæ.*
t) *Mathæ. XXIV. com. XLIV.*
u) *Lucæ. XXIII. com. XLVI.*
x) *Act. VII. com. LIX.*
y) *I. Pet. IV. com. XIX.*
z) *Psalm. XXXI. com. VI.*
a) *Job. XIX. com. XI.*
b) *Hug. Tom. III. Erudit. Didasc. part. XVI. c. 1.*

& sedatum cupidinem industriosè formaram fuisse. Non edisseram ut Matre anno MDCII. XXIII. April. naturæ concedente, itemque Patre Anno MDCVIII. XII. Octob. ex humanis abeunte, jam orbata primo naturæ præsidio, spe recumbente in Deum, ad Illustrem Aviam conversâ, tanquam *ad Alterum præsidium*, & vitæ Magistram nobilem concesserit: ut sub manu hujus semina à Parentibus jacta pietatis excoluerit; ejusq; consensu & Illustribus auspiciis, Anno MDCX. Heroi Maxumo Optumo, DN. HARTVICO de STITTIEN, in Pommerswvitz, Rõsnitz Steubervvitz & Windorff, &c. cujus memoria inter Christi Sanctos Sanctissima est: annos nata XVI. in matrimonium illustre elocata, nupserit. Denique, qua arte, quo animo, quibus obsequiis virum, & facile matrimonium, quamvis prole carens, at multijugâ Dei benedictione locuples, rebusque florentissimum coluerit.

Verùm eam duntaxat partem VITÆ attingam hâc pagellâ, quæ ARTIS MORIENDI Exẽplar referat: ràm in *Præparatione ad Mortem Sobria & vigilante; quàm in Cõstante usq; ad mortem Constitutione.* Toto stantis Matrimonii decursu visa est, *Deum pro revelanda* MORIENDI SCIENTIA castis votis precari: *Finem vitæ*, carnis infirmitatum confessione, Sanguinis Christi haustione, singulorum dierum cum extremo comparatione, & novissimorum recensione, meditari. Conspecta est, *Primum vitæ gradum* æternæ, in Dei Mediatoris & Sancti Paracleti notitia salutari, in conscientiæ Tranquillitate, & Sp. Sancti donorum κοινωνία, in hac vitâ inchoare. Audita est carnem cum Christo crucifixam à peccandi voluptate abstentam, morborum variorum, ternisq; vicibus agmen instaurantiũ, Peregrinationis aculeis, & obitu acerbo mariti excruciatam, magna afflictionum Tolerantia domare: Præsentem sortem boni consulere: Denique erga pauperes misericordiam, erga Orphanos cõdolentiam, erga pares æqualitatẽ, erga familiam Beneficentiam, condito testamento, probare: Sororem Unicam & cordicitus dilectã DN. KÛNIGUNDAM KYCKPUSCHIAM, natam Ashelmiam de Goldtschmieden, &c. sororio affectu: superio-

Superiores reverentiâ; Fidei domesticos charitate operosa; quosvis honestos honore colere visa est. Quoties agnitam Religionis orthodoxæ veritatem sibi gratulari: quoties in mediis passionibus Cholicis constituta, *de omnibus beneficiis Deo gratias agere:* Quoties de mundi contemptu, de afflictionum fine, de fide in Christum, & resipiscentiâ, celebrata Synaxi sacrâ, disserere: quoties etiam vel se solâ, vel Ministro Dei in auxilium precum vocato, Psalmos orare de memoriâ, & quamvis inter lacrymas & suspiria *Cytharam Davidis*, peritissimi instar artificis, pulsare coràm ipsi eam audivimus.

Quid dicam horâ fatali imminente, qualem se Constitutam ex Deo ostenderit? Hoc dicam, & fidem de fide mea faciam, singulos numeros ARTIS MORIENDI, morientibus olim proponi solitæ, ab Anselmo annotatæ, totam salutis rationem complexæ, fide implevit. *Lætata est, se mori in fide Christi: Pœnituit non tàm benè vixisse, ut debuisset: Habuit emendandi animum, si spatium haberet vivendi: Credidit, se non posse nisi per mortem Christi salvari: Egit de hoc gratias ex toto corde Deo: Objecit inter se & judicem mortem sui Domini Jesu: Meritum malum Christi passionis dignissimæ merito texit: Denique in manus Domini Spiritum suum commendans*, in hoc verbo & voto, Animulam Deo placidissimâ morte reliquit. Agite ergo P.C. C. A. qui εὐθανασίαν Christianorum summam votorũ ducitis, agite: Tanto exemplari τῆς εὐθανασίας pio affectu, publico luctu, exsequias ite: Virtutibus defunctæ Matronæ, meritis Illustris Familiæ, Honori & dolori Magnifici juxta atque Nobilissimi Viri, Dn REINHARDI KYCKPUSCHI, vestræque pietati hoc officium impendite: denique hoc moniti exemplo omnes sic VIVITE, ut imminéte morte gloriari quisque cum Ambrosio possit, dicens: *Haut ita vobiscum vixi ut vivere me pudeat*: nec mori metuo, quia benignum habemus Deum. VIVITE & VALETE.

W. C. D.

C. Ulenb. I.
berg. lib. II
causar. III.
caus. IV.
XIV. V.
VI.
VII.
VIII.

Paulinus in vita Ambros.

ORATIUNCULA EXSEQUIALIS
Post funus
Nobilissimæ, omnibusq; animi, corporis & fortunæ dotibus præstantissimæ
MATRONÆ

MAGDALENÆ

STITTENIÆ,
natæ ASHELMIÆ de Goldschmieden, &c.
Magnifici, Strennui & Nobiliss. Viri
DN.
HARDVVICI de STITTEN,
in Pommerschvvitz, Rôsnitz, VVindorff,
& Steubervvitz Hereditarii,
Illustrissimorum Marchionum Brandeburgensium
Consiliarii laudatissimi,
Carnoviensis in SIL. Ducatus Capitanei
quondam Amplissimi
RELICTÆ VIDUÆ
A. d. XII. Kal. Apr.
ANNO CHRISTI

CIↃ. IↃ. CXXII.

Francofurti cis Viadrum sollemniter ductum.
Dicta ex more ante ædes
à
M. CHRISTOPHORO NEANDRO
civilis doctrinæ Professore P.

TYPIS HARTMANNIANIS.